

CAPITIS VIGESIMI SEPTIMI

Argumentum, Vfus, Partitio, Analyfis.

Recitatur *historia translata benedictionis paterna ab Esau in Iacobum iuxta oraculum: Maior seruiet minori. Haecenus Isaac siue oraculi ignarus, siue affectu aberrante maiorem praetulerat minori, & eundem diuina benedictionis, & promissionum heredem testamentaria dispositione facturus erat. Rebecca vero oraculi memor, techna industria Iacobum Esauo substituens, mariti errorem praecauet, & oraculo implendo viam facit, vt Iacob benedictionem Esau a patre ignorante consequatur. Quomodo ea res fuerit gesta, quamq; indigne tulerit profanus Esau, & vix multis precibus benedictionem secundariam patri velut extorserit, fratri vero necem intenterit: Moses hoc capite exponit.*

Etsi autem videtur non magna esse historia vtilitas: tamen monet in genere, quanti sint pii liberis faciendae parentum preces & benedictiones: Quod item quandoque etiam sanctissimi affectibus & consiliis a rectitudine aberrant: Deus vero errores eorum saepe mirabiliter corrigat, & peccatis nostris ad exsequendum suum consilium vtatur. Pingitur etiam imago Ecclesiae, quod non sit alligata prerogatiuis carnalibus, aut successioni externa: sed transfertur de gente in gentem, iuxta consilium & verbum Dei: Item, typus disidij inter Ecclesiam veram & hypocritas, qui pios persequuntur, sicut Esau Iacobum odit atque persequitur.

Partes constitui possunt tres.

1. De benedictione Esauo praerepta à Iacobo apud patrem, matris consilio, vsque ad vers. 30.
2. De Esau tristitia, secundaria benedictione, & indignatione aduersus fratrem, vsq; ad v. 42.
3. Matris sollicitudo pro Iacobo, & consilium de fuga in Mesopotamiam, vsque ad finem.

In prima parte varia sunt circumstantia.

1. Senectus & caligo oculorum Isaaci, vers. 1.
2. Institutum benedicendi Esauo, vers. 2. 3.
3. Astus Rebecca substituentis Iacobum Esauo, versib. 9 vsque ad vers. 18.
4. Successus, vsque ad vers. 27.
5. Benedictio Iacobi, vers. 27. 28. 29.

In secunda parte.

1. Repulsa Esau, & comprobatio benedictionis Iacobi, vers. 30. 31. 32. 33.
2. Consternatio, querela, & lachryma Esau de fraude fratris, vers. 34. 35. 36. 37. 38.
3. Benedictio Esau, vers. 39. 40.
4. Odium eiusdem & mina aduersus fratrem, vers. 41.

In tertia parte.

1. Rebecca consilium de fuga Iacobi, versib. 43.
2. Querela eiusdem de vxoribus Esau, vers. 46.

PRIMA PARS CAPITIS.

Benedictio Iacobi.

- 1 Fuit autem, cum senuisset Isaac, & caligarent oculi eius, ita vt non videret, tunc vocauit Esau filium suum maiorem, & dixit ad eum: Fili mi: qui dixit ad eum: Ecce me.
- 2 Et dixit: Ecce nunc senui, nec scio diem mortis meae.
- 3 Nunc igitur quaeso tolle instrumenta tua, pharetram tuam, & arcum tuum, & egredere in agrum, & venare mihi venationem.